

F4

CUM BONO DEO!  
**DISPVVTATIO PHYSICA**  
 DE  
**IGNE FATUO,**  
**LAMBENTE.**

Et iis, qui

**CASTORIS, POLLVCIS**  
 ET HELENÆ NOMINE  
 VENIVNT.

*Quam*

Amplissimæ Facultatis Philo-  
 phicæ suffragio  
**IN ALMA PRVSSORVM**  
*SVB PRÆSIDIO*

**DN. M. HARTVICI WICHEL-**  
**MANNI LUNÆBURG.**

Præceptoris sui venerandi.

*Exercitij gratiâ Eruditis ventilandam sifit*  
**HIOBVS LEPNER M. B.**

A. & R.

In Auditorio Philosoph. ad diem Martij  
 Horis matutinis

Meteorol.

350,20

**REGIOMONTI,**  
 PIS RÉUSNERIANIS ANNO 1645.



Erga

## VIROS

Reverendâ dignitate, doctrinâ, ac vitæ sanctimo-  
niâ conspicuos

DN. M. URBANUM LEPNERUM, ad Ædem  
Palæopolitanam Diaconum meritissimum,

DN. M. MATTHIAM SETHVM, Ecclesiæ  
Insterburg: Pastorem fidelissimum, & districtus  
illius Archipresbyterum dignissimum,

DN. HIOBUM LEPNERUM, Ragnittensium,  
Pastorem Germ: & Archipresb: vigilantissimum

DN. GEORGIVM COLBIVM, Cathedralis  
Regiom: Diaconum solertissimum,

DN. DANIELEM MARTINVM Ecclesiæ Cin-  
tinensis Pastorem bene meritum

UT ET

Speciatissimum ac omni prudentiâ Politicâ  
instructum Virum

DN. FRIDERICVM LEPNERVM Civem ac  
Negotiatorem Cniphov:

*inter primos non postremum*

Dnnnnnn. Patruos, Amitinum, Parentem, Affines,  
magno suos Patronos & Fautores undiquaq;  
honoratissimos submissâ primiciarum Academ;  
ut ut tenuium, consecratione

Observantiam devotam testari debuit

Hiobus Lepner Jun:

# Præfatio.

**N**aturæ genius ( sicuti ab antiquis fuit dictus, vid<sup>o</sup> Conimbr. in lib: Phys: Q. 5. Art: 4. distributione Philosophiæ) Aristoteles lib: I. de Partibus Animal. c. 5. Heraclitum quondam ad eos, qui, cum alloqui eum vellene, quod forte in casâ furnariâ, caloris gratiâ sedentem vidissent, accedere temperarunt, dixisse refert: Amici introite confidenter, quoniam ne huic quidem loco dij desunt immortales. Hac ille quidem de Igne, vel casâ furnariâ, ac nos de vastissimo hoc, undiquaq; oculis nostris subiacente, cœli terræq; ambitu: Ecquid enim in amplissimo hoc mundi theatro datur, quod non immensam, immensi Dei potentiam, infinitam, infiniti Numinis sapientiam, cum pari bonitate confociatam, indice quasi digito demonstret? Sive enim cœli intueamur suspensos fornices, tot luminibus pictos, tot velocissimis gyris rapidos, tantâ puritate, celsitudine, insignes; sive, quæ bisce famulantur, aërias varietates, fulgura, tonitrua grandinesq;, nimborum item, procellarumq;, & turbinum miram vicissitudinem; sive plantarum & animalium generices, terram dico & mare cum in exhausto bonorum penu, nobis ob oculos sistamus, & omnia, quæcunq; vel mentis, vel oculorum acies assequi valer, quid aliud sunt quam certissimi Numinis certissimum testimonium? Hinc si quis in horum causis, principiisq; scrutandis, inveniendis, percipiendisq; suam non frustrâ collocavit operam, næ mihi ille omnes felicitatis puncum tulisse videtur: Hoc enim unicum est, quo à vulgo longis distant passibus sapientes: Hoc siquidem, neq; ea quæ supræ se, neq; quæ infra se, neq; quæ ante pe- pos sunt, intelligit, sed errabundum opinionibus ad duolum sapi- encum se applicare cogitur, quorum destitutum adjumentis, & orbarum præsidii vitam stultam, brutam, cœcam viveret, be- stiarumq; vita simillimam. Quæ cum ita sine, nemo mihi virtio

vertet, si, non inani quadam persuasione, qua à mē longè est remota, sed amore illius sapientiæ incitatus, miraculorum quorundam infimæ aëris regionis contemplationi, auxiliarii divini Suspiratoris gratiâ, quantulamcunq; operam addixero: ut ut enim eruditorum sententiam minus fuero assicurus, eorum tamen vestigia, quantum potero, legamus.

### THESIS I.

**S**It ergo primum quod sub considerationis nostræ incudem revocemus *Ignis fatuus*, circa hunc perpendimus 1. Nomen. 2. Causas, 3. Locum. 4. Tempus. 5. Effecta. Ex quibus definitio facile colligi poterit.

**I.** Quod Nomen attinet huj<sup>o</sup> meteori, vel ὑπεκκαύματ<sup>ο</sup>. (sic enim à Philosopho meteora Ignita à facili accensione appellantur 1. Meteor. c. 4.) diversimodè illud à diversis inditum est: modò enim venit sub nomine *ignis fatui*, vel propter instabilem agitationē, vel quod viatoribus ut fatuis illudit, eosq; ceu fatuos circumducit, de quibus infra; modo *erratici*, quod vel ipse Oberat, nec locum fixum, ob levitatem, quā donatus est, obtinet; vel quod incautos in erronea & avia præcipitat. Et fortassis collinearunt huc Germani appellantes illum einen Irrwisch (weil es gleichsam in der Irre herumb wischet oder fleucht) Nonnulli vocant illum *Ignem sequentem & præcedentem*; Progredientes namq; aëreni dimovemus ac propellimus, tantōq; vehementius, quanto contentius ambulamus, jam aér pulsus, pellit proximū, & hic proximum, donec ipsum halitū inflammatum, si forte ante nos sit, attingat cumq; propellat: Dum vero fugimus, aerem nobiscum à tergo quodammodo rapimus, & cum aëre, ignis flammatum, si post nos in aëre hæreat. Et cum hac appellatione consentit græcum vocabulum παλινδρόμον, quod quasi hinc inde, antrorsum, retrorsum, currat.

Nomi-

III. Nominis considerationem excipit causarum investigatio, cum Internarum, Materiæ & Formæ, tū Externarum, Efficientis & Finis.

IV. Materia ignis fatui est, juxta non nullos, *exhalatio pinguis crassior, & viscosa*, cuiusmodi ē locis potissimum pinguioribus & viscosioribus, (de quibus suoloco) expromitur. Cūm dico exhalationem pinguem, nō intelligo illam *ἀτμιδωδεσίην*, hæc enim ex aquis aqueisq; corporibus excitatur; sed *πνευματωδεσίην*, cuiusmodi ex terris potissimum & locis arenib; exspirat, *Arist. l. i. Meteor. c. 4.* Præterea pinguis esse debet exhalatio; ut facile concipiatur inflammationem saltem visibilem. Crassior insuper sit materia, ad differentiā ignis lambentis, tenuiorem, subtilioremq; agnoscētis. Viscosa seu tenax ideo debet esse, ne statim uno quasi momento deflagret, sed lentè, una parte absumenta, suppeditetur alia. Vel etiam, ignis fatuus est exhalatio talis, qualis fit ex oleo & pinguedine, quæ non nihil fumi sive halitus sicci admixtum habet, qualis ex elychnio genitus, cum oleoso halitu permiscetur, propter hanc siquidem mixturam olcum, , vel olei halitus inflammam mutari potest, quod si pauca sit illa admixtio, tardius absunitur materia.

V. Forma huj<sup>o</sup> meteori, uti & aliorū igniorū essentialis & generalis nulla alia est, quā forma ignis, est enim exhalatio incensa vel ardens. Accidentalis autem sive specialior desumitur à motu vagabundo; per illū enim ab alijs dignoscitur. Nam tale discrimen obvenire solet à succensionis situ, motu, & multitudine materiæ: Prout enim exhalatio est vel longa, vel lata, densa, rara, conjuncta, disjuncta &c. ita etiam varias producit species. *Arist. loc. cit.*

VI. Causam Efficientem assignamus duplicem, Remotam & proximam. Remotam dicimus illam, quæ halitus illos calidos è visceribus terræ elicit, & hæc imprimis est sol, lib. I. *Meteor.* c. 3, 4. Licet enim & luna & reliqui planetæ cum stellis fixis aliquam sibi ejus rei vendicent partem, attamen quoniam partim nimis ab juncta est illorum latio, partim nimis pigra, libenter soli cedunt, utpote cuius latio vel sola satis est efficere calorem, & per consequens elicere halitus *Arist.* ibid. Sciendum verò, quod nō tantum præsente sole halitus ex terrâ & aquâ egrediantur, sed quod egressi, absente etiam sole congregentur: dum enim alter, calidus scilicet & humidus in crassiorem vaporem, vel in guttas concrescit, alter etiam per partes colligitur: Item quod ex humidis tūm incalescentibus tūm refrigeratis exhalatio fiat, unde etiam post occasum solis, dum terra & aqua refrigerantur, exhalatio fieri poterit *Sed:* 23. *Probl:* 16. *Sed:* 26. *Probl:* 33.

VII. Proximam nuncupamus illam quæ exhalationes incendit, seu (uti loquitur *Arist.* l. I. *Meteor.* c. 4.) movet, & illa vel quadruplex assignatur: 1. enim *motus* quo per aërem ascendere iterum atq; iterum nititur exhalatio calida & sicca, cum dividere eam, utpote crassiorem non possit, confricando eam attenuat, sicq; ad formam ignis disponit. Motum autem calefacere, etiam interdum ad liquefactionem usq; l. I. *Meteor.* c. 3. & 2. *de Cælo* c. 7. quis est qui negare audeat? Cum itaq; exhalatio potentia ptoxima sit ut ignis *Arist.* ibid: nihil obstat quominus potentia illa facili negotio per motum in aërum traducatur. 2. *Antiperistasis* nocturni frigoris, & propter hoc confluentis aëris, exhalationē fumosā densat, comprimit, & partes ejus in angustū cogit, quæ cum mutuo contactu se calefaciunt, in primis vero circum-

circumstantes undiq; in medium agunt, eamq; quasi  
fervore faciunt, quod dum fit, ipsa flammarum concipit,  
ab unâ autem reliquæ incendium rapiunt. 3. Alij ad-  
dunt & hoc; solem ante occasum radijs suis halitum in-  
cendere potuisse, ablato verò majori lumine (quod, uti  
vulgò dicitur, minus obfuscatur) noctu demum copiam  
apparendi fieri. Nihil enim prohibere putant, quo mi-  
nus interdiu juxta ac noctu meteora ignita generari  
possint, licet claritate luminis solaris præpedita, inter-  
diu ratissime conspiciantur. Nam & astra non minus  
interdiu quam noctu lucent, et si oculorum nostrorum  
acies illa non distinguat. 4. Tandem etiam à causis ha-  
litus illos spirituosos accendentibus Lunam cum reli-  
quis astris non excludunt, sed potius iisdem adjun-  
gunt nonnulli, horum enim quamvis admodum debi-  
lis sit calor, eundem tamen ad opus hoc peragendum  
sufficere putant, imprimis cum talis halitus facile in i-  
gnem transire possit. Ego rationem secundam, cum  
primâ conjunctam, reliquis præfero.

VIII. In causâ finali hujus & cœterorum meteo-  
rorum assignandâ, quamvis communiter ad sapientiâ,  
bonitatem & omnipotentiam DEI configuant, hanc  
tamen, ceu nimis generalem, & omnibus rebus, totiq;  
mundo communem, non sufficere puto, & tunc demū  
ad illam configiendam esse, cum ratione destituimur  
physicâ, finis autem proximus hujus meteori, si quis est,  
erit purificatio aëris: Afflatus enim tetri, putrescentes  
ac venenati, quales quidem è locis illis paludosis & uli-  
ginosis, de quibus infra, proveniunt, quibusq; infectus  
& corruptus aër, morbos inventat, & funera agglome-  
rat, absumentur. Hinc remotum finem addimus, ani-  
mantium scilicet salubritatem, stirpium corporumq;  
cæterorum commoditatem.

### Causas

IX. Causas motus fatui si cui scire lubido est, ha  
funto. 1. Notum est ex I. Meteor.: 10. quod ex locis  
palustribus, aquosis, humilibus, solisq; radijs minus ex-  
positis vapor quidam, per diem, maximè circa solis  
occasum, crassior ascendat, qui ob gravitatem & de-  
fectum caloris, parum ipsum elevantis, rursum descen-  
dat, concepto per noctem frigore, unde ros & pruina  
funt; cum igitur vapor hic refrigeratus in talem ignē  
incidit, gravitate suā illum deprimit, unde oritur con-  
tentio quasi & pugna, ignis enim depresso resistit le-  
vitate suā, ros instat, ille minus cedit, donec tandem  
levitate vincente, ignis subito proficit, & ad superiora  
contendit. 2. Accedit fluctuatio & inconstantia aëris  
qui, dum modò dextrorum, modò sinistrorum, mo-  
dò antrorum, modò retrorum, modò sursum, modò  
deorsum agitatur, secum hunc ignem variè trahit, non  
magis, quam oleum aquæ fluidæ innatans, reluctantem.  
3. Adducimus frigus circumstans & calorem propri-  
um; ab illo prout magis deprimitur & comprimitur,  
succumbit, ab hoc, prout rarescit, in altum resilit. Ari-  
stoteles fortè materiae maximam hujus motus causam  
adscriberet: Nam si illa sit varijs modis dispersa, & dis-  
gregata, vel extensa, tunc flamma quæ inde fit, varium  
motum habebit, dum scilicet una pars post alteram in-  
cenditur, extinctâ vel absumptâ semper priore. Oleo-  
sus verò & pinguis halitus per aërem, ut oleum & pin-  
guedo liquefacta per aquam, variis fortè modis, faci-  
lius quam alij halitus, diffuit vel dispergitur. Deinde  
quando interdum plus, interdum minus halitus in flam-  
mam mutatur, tunc ignis interdum ascendit, mox verò  
rursus descendit, sicut sæpè fit in lucernis accensis. Itē,  
si interdum plus interdum minus ex terrâ, vel inferio-  
ri loco ascendit, tunc flamma quæ in summitate eius  
confi-

cōsistit, modo ascēdet, modo rursus defluet. Et, si modō ex hoc, modō ex illo loco halitus ascendat, de hoc in illum locum flamma transcurreret, si halitus hali-  
tui uniatur.

X. Expeditis causis meteori nostri *Locus* subse-  
quitur ubi frequentius apparet, sunt autem paludes, re-  
quietoria seu cōmiteria, patibula, & aliæ supplicijs no-  
centum destinatæ sedes; huc pertinent loca ubi quondā  
magna militum strages edita, & ejusmodi alia in qui-  
bus ingens pinguiorum halituum copia, quos putrefa-  
cta, uliginosa & palustria exspirant, elevatur. Sunt au-  
tem flammulæ istæ frequentiores in Hispaniâ, Africâ  
& circa torridam seu medianam zonam, ibi enim, quia  
angulis rectis, seu rectioribus & brevioribus, radij ter-  
ram feriunt, & partim in se ipsos aut in oppositos re-  
flectuntur, partim reflexi minus diffunduntur, calor  
est intensior; quam ob causam etiā veteres hanc *causam*  
hoc est, vel plane non, vel non facile, aut non commo-  
dè habitabilem, putarunt. In Æthiopiâ campos totos  
nocte cœu stellis nitere, author est *Liberius Formondus*  
*lib. 2. Meteor. cap: 2. artic: 1. p: 36.* Et fortassis huc re-  
ferri possunt nonnulla quæ Arist: in *libro de mirabilibus*  
*Auseculis: de ignibus nonnullis, partim noctu tantum,*  
*partim interdiu & noctu simul ardentibus, refert.*

XI. Tempus huic reliquisq; ignitis meteoris ge-  
nerandis aptissimum videtur æstivum & autumnale  
primum. Æstivum; tunc enim incalescente à sole terrâ,  
& per noctem inferius calidâ manente, calore etiam  
propter frigus nocturnum aucto, materia pinguis fa-  
cile in halitum resolvitur, præscritim cum ex refrigerati  
etiam halitus egrediatur. Initiale autumni; fumat e-  
nim tunc adhuc terra æstatis incendio sufficit etiam sol  
adhuc ad eliciendas exhalationes, ab absumentibus vero  
non dum.

B

Du.

**XII.** Durant etiam fatui ignes aliquot interdum horis proratione loci halitum subministrantis: Si enim magna detur nutrimenti copia & continua exhalatio, diutius flagrant, sin minus, citius deflagrant, & si continuo halitus halitū nō sequatur, flamma extinguitur.

**XIII.** Effecta vel opera Fatui nostri, quamvis fatmirabilia sint, doctissimorumq; naturæ venatorum scriptis decantata, in illorum tamen aliquot enarrandis non multi erimus. 1. *In sequentes fugit, fugientes sequitur.* Rationem supra adduximus: Aer enim pro vehiculo utitur, qui dum ab insectante propellitur, simul etiam flamma si non per se saltem per accidens, promovetur. Hinc etiam notant, quod magis equitem quam pedestē fugiat, ille enim contentius cursitando, vehementius aërem ante se agit; ast dum fugimus ipsi, aër versus tergum affluit, secumq; flammulam in eo suspensam ducit. 2. *Viatores sāpe in avia & præcipitia seducit.* Existimantes enim hos ignes esse candelam, lucernam aut faculam in proximi pagis lucentem, aut ab homine forte prælatam, eam veluti itineris ducem aut metam, relieto trahite recto, prosequuntur, prosequentes in fossas, amnes, paludes, præcipites dantur. 3. Fieri potest, ut viatores, cum ob subitam consternationem, quando talia spectra (uti sibi imaginantur) occurruint, tum ob venenosos halitus, ex locis paludosis & putridis, præsentissimum venenum spirantibus, elevatos, vel exanimentur, vel morbum contrahant. 4. *Voces interdum, & quasi ejulatus edere prohibetur.* Quod, si modo verum sit, ficit, quia halitus ad latera terræ, aquæ &c, dum infra genitus, vel contentus, egreditur, influit & incurrit; aër enim, quando ad latera solidioris cum impetu incurrit varios edit sonos. Ita quando aër vel halitus appellatur vel incurrit ad guttur, ad fistulam, ad latera bombardæ,

bardæ, intestinorum, nubis, & quando efflatur pera-  
quam, per arundinem vel aliam angustiam, sonus, &  
quidem varius, editur.

XIV. Hæ & similes, in explicandis hujus mete-  
ori operationibus, rationes physicæ, quamvis suo stent  
talo, non temerè tamen est negandum, cacodæmonem  
(cujus astutia & machinamenta ad seducendos homi-  
nes proh dolor! notissima sunt) illis ad hominum de-  
ceptionem, damnum & internectionem abuti, impi-  
missi Deus ipsi habens aliquantis per laxet: Ipse enim  
& comitem se itineris præbere & voces ad terrorem  
& dolum fingere, apprimè compositus est. Atq; hæc  
de igne fatuo dicta sunt.

XV. Subsequuntur alia meteora quæ sequenti-  
bus insigniuntur nominibus, *Helena* *Pollux* & *Castor*.  
Hæc quamvis easdem, fermè cum priori causas agno-  
scant, ac loci potissimum ratione (quod ille ignis in ter-  
ris, hi in mari plerumq; apparent) ab eodem distin-  
guantur, unde etiam pro iisdem à nonnullis habentur;  
placet tamen in specie quædam de illis annotare, impi-  
mis cum nomina hujus meteori ignota esse posint, &  
*Helena* aliquanto aliter se habere videatur, quod vix  
melius fieri poterit quam si historia, vel fabula potius,  
consulatur.

XVI. *Castor* & *Pollux* dicuntur aliás Διόσκυροι vel  
Διόσκοροι, quasi διός id est, Jovis, & κόροι filij: Creditum c-  
enim est antiquitus, Jovem captū desiderio Leda Tyns-  
dari regis in cygnum se convertisse, illamq; compres-  
sisse, cantu suavissimo deceptam, compressa ovum pe-  
perisse dicitur, è quo *Castor*, *Pollux* & *Helena* nati  
sunt. Natos mercurius Pelenen nutriendi causa depor-  
tavit. Nutriti, educati *Castor* & *Pollux* militiæ dede-  
runt operam; Cum enim Jason, aurco vellere poti-  
turus

turus expéditionem susciperet, & ad eum confluarent  
 undiq; delecti Juvenes suam ipsi operam addicturi, in-  
 ter cœteros aderant Castor & Pollux, præclara admo-  
 dum in navigatione istâ edentes opera. Dehinc post  
 Colchicam expéditionem in patriam vix reversi, aliâ  
 contra Athenienses susceperunt, à Thesco raptam re-  
 cupraturi sororem Helenam, occupata vero urbe &  
 Helenâ receptâ, omnibus Atheniensibus, præter ma-  
 trem Thesci, pepercérunt. Defuncti, (ut reliqua fa-  
 bulosa præteream) ob res præclare gestas, (quarum  
 non postrema fuit, quod mare à piratis tutum præsti-  
 terunt, interempto imprimis Piratarum primipilari  
 Amyco quodam, Neptuni filio) in numerum Deorum  
 relati sunt. Navigantium autem Dij, omnibusq; na-  
 vigantib; salutares esse tali de causa crediti fuerunt. Cū  
 ingens quondā tempestas Argonautas, à Sigeo digres-  
 sos, invasisset, atq; pro eorum incolumitate vota Or-  
 phe, concepisset, geminæ flammæ circa castoris & Pol-  
 lucis capita apparuerunt. Secuta est paulò post admi-  
 rabilis maris tranquillitas & clementia ventorum, quâ  
 obrem credita fuit inesse quædam in his juvenibus  
 divinitas, & ignes illi cum postea navigantibus appa-  
 gerent, Castoris & pollucis arbitrio adesse putabantur.  
 Hinc eousq; superstitionis progressi sunt, ut imagines  
 eorum in vexillis, è prorâ vel puppi forte erexit, depi-  
 etas, vel iisdē insculptas, pro Ἀδεσημῷ seu insigni adhi-  
 buerint; Id quod etiā ex Aðor:cap: ult. v. II. liqueat, ubi Lu-  
 cas Alexandrinā navē, quâ Paulus Romam vchendus  
 erat, habuisse pro Ἀδεσημῷ διοκέσθαι Castorem & Pollu-  
 cem, asseverat. Porro quando cunq; geminæ appare-  
 bant, velo vel antennis insidentes flammulæ, salutife-  
 ræ illæ fuerunt navigantibus, at si una tantum, pericu-  
 losa, & mortuendum Nautis excidium interminarura,  
 cō quod

eò quod à Paride rapta Helena, fax & tuba decennalis illius obsidionis Trojanæ, & subsecutæ devastatio-  
nis fuisset. Plura φιλομήθοις suppeditabit *Natalis Comis*  
*lib: I. cap: 9. sue mythologie*, prolixè de hisce Dijs diffe-  
rens. Consulatur & *Plinius lib: 2. Hist. Natur: c. 32.*  
adjungatur *Seneca lib. I. Natur: c. I.*

XVII. Verum enim verò hæc & similia (quo-  
rum recensioni, brevitati studens, hâc vice supersede-  
bo) Ethnicorum potius superstitionem, quam physi-  
cam rationem redolent, quæ paucis attingenda venit.

XVIII. Quando post tempestatem flamma  
malo vel antennis insidet, tunc certum datur indicium  
ventum jam soplum, & tranquillitatem esse restitu-  
tâm; neq; enim materia congregari & accendi, multo  
minus flamma incensa navi insidere vel ad hærere pos-  
set, sive vehementiori motu, qualis est tempestatis, aër  
adhuc agitarerur. Quando verò flamma ex aëre ex-  
cidit, cum nulla tempestas antecesserit, tunc indicium  
datur mox futurorum ventorum atq; ecne phiarum,  
nam nubes vel aer flammam non excerneret, nisi jam  
tum in superiori loco vento compelleretur: Unde  
etiam quando crebræ in nubibus fiunt flammæ, quæ  
dicuntur stellæ cadentes, signum datur mox adventu-  
rorū jam tūm in superiori loco spirantiū ventorū juxta  
*problema 25. sol: 26. Flammæ itaq: quæ sequuntur tem-*  
pestatem non nisi bonum indicium esse possunt, sive  
duæ sint sive plures; quæ verò non sequuntur, malum  
futurum ominantur, subsecuturam enim indicant tem-  
pestatem. Quemadmodum quando crebræ post to-  
nitrua apparent flammæ, tonitrua jam cessare, indi-  
catur; quando verò flamma ante tonitruo apparet, mox  
tonitruo auditum ixi, ut plurimum significatur. Atq;  
hoc

hoc etiam historia Caistoris, Pollucis & Helenæ in-  
nuit. Considerandum autem quod finitâ tempestate  
halitus calidus & siccus, per aërem, reliquiarum instar  
dispersus, congregetur, & facile propter antiperista-  
sin frigidi, in quo est aëris, accendatur, utpote cum ex  
motu jam tūm incaluerit. Quod si quis dicat motum  
velorum, antennarumq; ad hujusmodi accensionem  
non nihil facere, ei non refragabor. Potest igitur na-  
vis, dum aërem tranquillum transit, duas pluresve ta-  
les colligere flamas. Quando verò tempestas pri-  
mum ingruit, tunc nubes & aër vaporosus propter re-  
frigerationem & ventum confluunt & condensantur,  
& primò quidem in superiori parte, quia ex illa prior  
fit exhalatio caloris, dum verò illud fit deorsum versus  
halitus, confluenti forte inclusus, exprimitur, qui si  
paucus sit & tenuis (halitus enim paucus non facile  
nubem perrumpere potest, sed ipse compressus & agi-  
tatus facile extenuatur) accenditur, mox verò si major  
copia congregetur innube, sine accensione exprimitur.  
Græcisq; Ecnebias dicitur, qui visuā obviā quæq; pro-  
sternit. Tantum etiam de hisce ignibus.

XIX. Restat ultimum quod nobis pertexendū  
proposuimus meteorum quod *ignis lambens*, vel adhæ-  
rescens dicitur, quia circumfusus hominum capillis se-  
mel atq; iterum conspectus fuit, saepius equorum pilis  
auribus jubisq; adhærere refertur, neq; tamen eam rem  
quam tangit, lædit, sed quasi lambit. Testem hujs  
rei sistimus *Livium*, qui *Decad: 1.* eo tempore, inquit,  
prodigium visu eventuq; mirabile fuit. Puer dormi-  
enti, cui servio Tullio nomen erat, caput arsisse ferunt,  
multorum in conspectu, cum somno verò & flamمام  
abijisse. Hæc ille. Videatur insuper hāc de *rc Valerius*  
*Maxi-*

*Maximus lib: I. cap: 6. Diā: & Fact: memorab: Simile quid,  
vel fingit, vel refert Poēta, qui lib: 4. Aeneidos de Asca-  
nio Aeneæ filio.*

*Ecce, inquit, levissimmo de vertice visus Juli  
Fundere lumen apex, tactuq; innoxia molli  
Lambere flamma comas, & circum tempora pasci.*

XX. Equibus & similibus colligere quis posset,  
materiam hujus ignis esse fumum, qui cum & ex sudore  
animalium calidioris præsertim temperamenti dor-  
mientium, aut improbo, magnoq; labore defatigatorū  
exhalet. Fuisse enim servum Tullium calidioris na-  
turæ ex indole & ingenio ad discendum & agendum  
promptissimo, animiq; magnitudine satis apparet.

XXI. Ad Efficientem referri potest 1. calor inter-  
nus exhalationem generans & ad inflammationem  
præparans. Exemplo iterum est servius Tullius, in quo  
dormiente hæc flamma conspecta fuit, cessante verò  
somno, cessavit & ignis: In somno namq; calor inter-  
nus major est, Arist: lib: de somno & vigilijs c. 3. & per  
consequens ex halantem materiam magis extenuat, &  
ad accensionem aptiorem reddit. 2. Motus antecedens  
vehementior, qualis in pugnando, cursitando, trahen-  
do et similib⁹ modis existit. Atq; hanc esse causā puto,  
cur L. Martio, duorum exercituum duci, Publij &  
Cnei Scipionum in Hispaniâ ulti, ex prælio nuper  
reverso, concionantiq; flamma capiti circumfusa con-  
specta fuerit, sine ullo ejus sensu. Livius l. 5. Decad. 3.  
Valer. Maximus l. I. cap: 6. Et in hanc rem facere vide-  
tur, quod ex Cardani lib: 4. de varietate rerum cap. 69. à  
quibusdam affertur: amico cuidam Cardani domum  
revertenti post noctis horam primam scintillas à dor-  
so petasi profiliisse, eundem intra dies 15. ab inimicis  
accu-

accusatum veneficij, de consilio amicorum ultrò hospitium exiliō commutasse. 3. Antiperistasis nocturni, vel hyemalis, vel utriusq; frigoris: Calor enim, qui ab undiq; circum-dante frigore circumobsistitur, halitum, in quo est, magis incalescere facit, intèrdum etiam in flamمام ipsum convertit.

**XXII.** Finem hujus ignis cur prodigosum dicimus, nulla urgens appareat necessitas, siquidem ex haec tenus dictis constat causas ejus esse naturales. Quod verò ex eventu vel insignem gloriam vel infamiam insignem importat, id per accidens ei, non verò perse tribuendum venit.

Hæc sunt quæ de materiâ hacce dubiâ thesium loco proponere volui, qui certiores & notiores habet historias, certius etiam judicium de singulis ferre poterit, mihi autem, si quæ omisi, veniam dabit, siquidem experientiam propriam de propositis sumere non cuivis licet, & in difficilioribus voluisse, sufficere dicitur.

## SOLI DEO GLORIA.



Meteorol. 350, 20.